



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Quomodo in nobis producaturs Scientia. C. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

obscura opinio, ex sensu confurgens. Quæ sententia dum rectè intelligitur, vera est: nam loquitur tunc Plato de virtute imaginandi phantastica, de opinione tenui, & obscura; nõ de ea, quæ ex ratiocinatione confurgit. Aristoteles eum carpens, de opinione alia loquitur, quæ ex ratiocinatione confurgit; ideo inquit in cont. 159. Apparent autem per imaginandi vim sæpe falsa, de quibus simul opinionem, siue existimationem veram habet: vt apparet Solvnius pedis; persuasum autem est, eum maiorem esse vniuersa terra. Hæc Aristot. per quæ patet eum in verbis carpere Platonem, & sophisticè; cum secus accipiat nomen opinionis, ac id fiat à Platone.

Quomodo in nobis producaturscientia.

CAP. XII.



Varia ad hominis cognitionem pertinentia, in præcedentibus dicta sunt: superest tamè adhuc, vt modum explicemus, quo scientia in nobis paritur; quæ consideratio viro studioso est apprimè necessaria. De qua hanc censeo Platonis fuisse sententiam: Anima rationis particeps, cui ab æterno leges fuerunt ostensæ; hoc est, cui rationes omnes ideis respondentes, fuerunt insertæ; in humano corpore, quasi in campo obliuionis recepta; propè flumen negligentia, hoc est propè fluxum humorum

collocata; ex quo in ea varia perturbationum genera confurgunt, quæ sunt causa, ut anima suimet obliuiscatur, suaque negligat. Ita, inquam, anima constituta: quasi dormiens, & ebria; dormiens, antequam excitetur; ebria, antequam excitata purgetur; incipit ab externis sensibilibus moueri, & excitari; excitata ob scientiarum initia in se conseruata, incipit auidius scientiam expetere: sic omnis homo, per naturam, hoc est, per veri intrinsecus infertas rationes, scire desiderat; cuius desiderij non tam conuenientem causam valent Peripatetici assignare. Anima verum, & scientias expetens, in rerum externis imaginibus versatur, in quibus verisimile refulget; eas inter se per ratiocinationem pro facultate distinguit; & si in aliquo conueniunt, in vnum colligit. Sic coniunctum in multa seiungens, multaque in vnum redigens, eò usque progreditur, ut per verisimile ad verum eleuetur; essentiamque rei ab omni, vel aliena, vel contraria qualitate seiunctam attingat, in ratione, & idea refulgentem. Ex quo contactu sibi apprimè salutari, rãquam ex reditu in propriam naturam, optimamque dispositionem, incomparabili quadam lætitia perfunditur; adeoque exultat, ut umbras omnes negligat, & paruipèdat. Tunc verè cognoscit, quòd, dum homo ad corporea respicit, in simulacris versatur, ad imagines conuertitur; & quamuis multa se scire putet, tamen re vera nihil scit; sed tunc solum ad scientiam

tiæ sublimem gradum eleuatur, cùm ideas attingit. Ex quo patet, quatuor hominum in ordine ad sciētiam inueniri subordinatas dispositiones. Primò enim pueri, tanquam noui huius mundi hospites, se nil scire cognoscunt. Mox in ymbris, & imaginibus rerum naturalium versati; neque adhuc ad essentias rerum conuersi; cùm nihil sciunt, multa tamen se scire existimant. Tertiò ad superna conuersi, eaque sola verè esse iudicantes; se nihil eorum scire affirmant, quæ primò existimabant se scire: in quo gradu se reperiri profitebatur Socrates, dum dicebat; Hoc vnum scio, quòd nihil scio; cuius ignorantia, aliorū scientiæ præferenda est: quem ordinem indicauit Socrates, dum in Phædone dixit, se, dum primò in rebus naturalib. versabatur, putasse multa scire; in progressu tamen eò deuenit, vt se nil scire animaduerteteret. Postremò per animæ acie ad ideas homines eleuati, cum eisque coniuncti, iam scientiæ splendore illustrati refulgent. Hinc constat, quid sit intellectus adeptus; què à longè conspexit Auerroes, & in cuius adeptione summum bonum collocauit. Nam duplex in anima consideratur adeptio: vna sui ipsius; dum extrà progressa, in se, ad suasque rationes reuertitur: altera mentis; dum per rationes cum ideis iungitur, & mentem, tanquã formam adipiscitur. Demũ ex his patet; quomodo vera scientia, quæ eadem intelligentia, & sapientia est; pietatem, & religionem parit:

scientia enim nos ad mentem, & ad diuinam e-
 leuat; cum eis animam copulat, cum quibus
 anima sola pura, recteque purgata coniungi
 valet; propterea ea coniunctio sine pietate,
 sanctitate, & religione, nec esse, nec seruari po-
 test: adeo, vt pugnantia proferant; qui inqui-
 unt, aliquem esse sapientem; sed impium, & a
 religione alienum.

An scire sit reminisci.

CAP. XIII.



Requenter Plato, cum in Menone
 tum alibi, scientiam esse reminiscen-
 tiam ostendit; & iure profecto. Cum
 enim a primo opifice manarint; a
 quo omne, quod effluit, perfectum est; animas
 quoque omni perfectione absolutas ab eo ma-
 nasse, putandum est: animæ perfectio est scien-
 tia; quæ adeo est eius propria, vt seorsum ab
 ea, nec quidē iure anima dici mereatur. Quod
 etiam ex eo patet: quoniam externa acciden-
 tia, quæ sola sensibus vsurpantur, nunquam
 ad substantiæ, internæque essentiæ cognitio-
 nem nos eleuant; nisi in anima nostra per
 rationes formæ rerum essent insertæ, eique es-
 sent familiares. Neque tam facile per excita-
 tiones, per interrogaciones, & responsiones, in
 nobis excitaretur cognitio veritatis; nisi cum
 ea veritate cōcreatæ fuissent animæ. Accedit,
 quod neque etiam adeo tenax esset hominis
 memoria, neque tam diu seruaret anima no-
 tiones